

Neque vero eo anno inter minimas curas Ferrariensem
ac Venetorum veteres de finibus controversiae erant; ad quas
tollendas Aloysius Mocenicus, multo ante a Senatu Procurator
designatus, missus; ut una cum Alphonsi sequestribus, inspe-
ctis locis, concordiae ratio in perpetuum iniaretur. Verum dum
in eo versantur, negotiumque aggrediuntur, morbo Alphonsus
correptus, paucis diebus ex humanis excessit; Mocenicus in pa-
triam rediit. Ex Alphonsi Estensis obitu ingens contentionum
seges in Italia suboritura videbatur. Eo namque sine legitima
prole defuncto, ad Ecclesiam, cuius beneficio Ferraria circum-
jectisque regionibus potiebatur, ditiones illas pervenisse, con-
stans opinio erat. Contra Alphonsus ex testamento Cæfarem,
Alphonsi patruelis filium, sed ante nuptias initas procreatrum,
omnium suarum ditionum heredem reliquerat; qui statim no-
bilium civium ac plebis consensu & plausu, maxima pompa du-
catus insignia susceperebat. Inde omnium Principum hærebant ani-
mi; variae hominum pro cuiusque voluntate animique affectu
sententiae. Nam etsi Pontificum amplitudo catholicæ religio-
nis causa maxime optanda videretur; attamen eos viribus
atque imperio augeri, non æque omnibus gratum erat, cum
magnum Principum incrementum finitimis semper suspectum ac
formidolosum habeatur. Hispanis quidem, Italiæ per amplam
obtinentibus partem, quibus tot regiones parerent, Pontificum
potentia minime pertimescenda erat; sed, ne viribus aucti
quidpiam in Neapolitanum regnum, quod Ecclesiæ jure pos-
sident, molirentur, quos aliquando hostes experti forent, me-
rito verebantur. Neque minus Pontificum incrementum Ma-
gnis Hetruriæ Ducibus officere existimabatur, quod sæpius
gravissimæ de finibus inter Hetruscos ac Romanos controver-
siæ inciderent, si se occasio daret, in bellum quoque exarsu-
ræ. Verum præter ceteros eam mutationem Venetos mole-
ste laturos videbatur, qui pro Estensis Principibus Ponti-
fices, summa auctoritate, haud contemnendis viribus, finiti-
mos essent habituri: inde frequentes finium contentiones, pro-
pinquæ dissidiorum causæ, quibus aliquando Pontificum mu-
tua cum Venetis conjunctio turbaretur. Præterita quoque
memoria repetebantur; anno M. CCCC. LXXXI. dum Xy-
sti IIII. Romani Pontificis impulsu terrestribus maritimisque

co-

*Alphonsi
Ferrarie
Ducis obi-
tus.
Cæsar
Estensis be-
nes ab Al-
phonso di-
ctus, infe-
gnia duca-
tus suscipit.*